


33



8.

DISPUTATIO
DE
PLEURITIDE:

*Solennis exercitij gratia in alma Argentoraten-
sium Universitate proposita*

à

MELCHIORE SEBIZIO,
DOCTORE ET PROFESSORE ME-
DICINÆ ORDINARIO, COMITE PA-
latino Cæsareo, & Reipubl. Archia-
tro, h. t. Rectore:

Respondente

JOHANNES LUDOVICO *Wibel* /
FRANCOFURTENSIS.

Die 16. Mensis Martij.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.
M. DC. XLIX.

VIRI
MAGNIFICENTIA, NOBILITATE,
PRUDENTIA, CONSILIO ET AVTHORITA-
TE AMPLISSIMIS, EMINENTISSIMIS, SPECTA-
TISSIMIS,

DNN. PRAETORI, CONSULIBUS,
SCABINIS, SCHOLARCHIS, ET SE-
NATORIBUS omnibus totius ordinis Sena-
torij Inclutæ Imperialis ac Liberæ Reipubl.
FRANCOFURTANÆ ad MOENUM,
Patriæ Patribus vigilantissimis:

*Dominis Mæcenatibus, Patronis ac Fautori-
bus, suis & studiorum suorum Promotoribus magnis,
humilimè atque devotè suspiciendis
& venerandis:*

CLARISSIMO ITEM ET EX-
CELLENTISSIMO

VIRO,

DN. JOHANNI REINHARDO *Widtz*
Medicinæ Doctore experientissimo, & Practico in ce-
leberrima hac Argentinensi Reipubl. felicissimo,
DN. Fautori suo observando:

*Disputationem hanc Medicam
Submisit, eaque, quâ par est, animi observantiâ,
In majorem studiorum suorum commendationem*

Consecrat & dicat

JOHANNES LUDOVICUS *Wikel*
Mœno-Francofurtanus.



THESIS I.



*Rassata aliquandiu apud nos vicini-
nosque nostros fuit, & etiamnum grassatur illa
agritudo, quam Graeci, ut Galenus l. 2. meth.
med. c. 2. & l. 1. de cur. rat. ad Glaucon. c. 3.
scribit, πλευρίτην & πλευρίδα: Celsus l. 4.
c. 6. morbum πλευριτικόν: Plinius l. 21. c. 19. laterum punctio-
nem: interpres Aretæi l. 1. de caus. & sign. acut. morb. c. 10.
morbum lateralem, & morbum costarum: Germani à sympto-
mate das Seitenstechen / & à genere ac parte affecta das
Brustgeschwâr / & Brustapostem appellant. Ideoq; opera pre-
tium esse videtur, ut illius natura atque essentia, sedes affecta,
differentiæ, causæ, signa diagnostica & prognostica, curatio
denique artis studiosis explicentur.*

II. *Vocatur à Præcticis barbaro seculo natis, utpote à Vale-
sco, Guainerio, Gattinaria, Nicolao Florentino, Savonarola,
Matthæo de Gradib. Arculano, & Avicennæ interprete l. 3.
can. fen. 10. tr. 4. c. 1. & seqq. Pleuresis: ab aliis Pleuresia: scil. ut
dictum, à loco affecto, nempe ἀπὸ τῆς πλευρᾶς, quod vocabulū &
latus, & costam, & membranam costas intrinsecus succingentem,
quæ Aëtio, aliisque Graecis ὑμῖν ἐνδοθεν ὑπεζωκῶς τὰς πλευρὰς
nominatur, significat: hîc verò in tertia significatione accipitur.*

III. *Effertur πλευρίτις plerunq; absolute: aliquando cum
adjectione πλευρίτις νόσος, laterum morbus, laterumq; dolor, quo
qui correpti sunt, πλευριτικοὶ nuncupantur. Quamvis, ut rectè
Trallian. l. 6. c. 1. monet, non omnis laterum dolor πλευρίτις dici
mereatur. Differt enim πλευρίτις à laterum dolore, ut species à
genere. Laterum namque dolor, sive morbus, instar generis & la-
tioris: πλευρίτις verò sicut species & angustius quid se habet.*

IV. QUID SIT, ex variis Galeni locis, nempe ex lib. 5. de loc. affect. c. 3. l. 4. de caus. puls. c. 8. l. 2. de cur. rat. ad Glaucon. c. 1. l. 2. de Respir. c. 8. comm. 4. in l. de vict. acut. §. 72. & ex Isagog. c. 13. liquet: quem Paulus l. 3. c. 33. Aëtius tetr. 2. serm. 4. c. 68. Trallianus l. 6. c. 1. & Avicenna l. 3. can. fen. 10. tr. 4. c. 1. 2. & 3. sunt secuti. Omnes enim ὀρθομαδὸν fatentur, pleuritidem inflammationem esse membranae costas succingentis, quam dolor lateris punctorius, difficultas respirationis, febris acuta, sputum pro varietate causa & temporum morbi varium, pulsus durus & serratus consequuntur.

V. Non igitur unus & simplex est affectus, sed compositus. Adest enim intemperies ratione inflammationis, & quidem materialis, eaque calida & humida. Praesens est magnitudo aucta, ob eandem inflammationem, quae species est tumoris praeter naturam. Offert se denique aliqua continui solutio, quam dolor ille insignis, de quo pleuritici summopere conqueruntur, palam facit.

VI. PARS AFFECTA non sunt costa, tamen si πλευρῶν nomine veniant. Dictum enim, πλευρᾶν hic neque costam, neque latus, sed membranam costas intrinsecus succingentem sonare. Et notum omnibus, in vera & exquisita pleuritide, de qua praecipue nobis nunc est negotium, acerbum sentiri dolorem, eumque punctorium, quo ossa carere, extra controversiam est positum.

VII. Duo autem hic quari possunt. I. quanam pleura pars in pleuritide sit affecta? II. an sola pleura, an etiam partes illi vicinae, ut musculi intercostales interni & pulmones, laborent?

VIII. Ad prius quaesitum respondemus, pleuram in quavis sui parte inflammari posse, anteriore & posteriore, dextra & sinistra, superiore & inferiore, quemadmodum praxis docet, & aegri confitentur, quorum alij de hac, alij de illa ejus regione conqueruntur. Hinc authores allegati pleuriticum dolorem nunc in parte supera, prope jugulum & claviculas, nunc in ima prope hypochondria, herere asseverant: denuò Galenum l. 2. de loc. aff. c. 7. l. 4. de loc. aff. c. 3. l. 5, de loc. aff. c. 3. & in Isagog. c. 15. imitati.

9. Ad

IX. Ad posterius dicimus, pleuram quidem in omni vera pleuritide affectam esse; id quod ex pulsu duro, & dolore punctorio, qui aliquando atrocissimus est, cum & ipsa pars afflicta exquisiti sensus sit, cognosci potest: verum non solam. Nam cum musculi intercostales interni pleurae sint contigui, & pleura adeo tenaciter illis, atque internae costarum superficiei adhaereat, ut vix integra ab illa separari queat, rationi consonum videtur, inflammata pleura, una quoque musculos intercostales inflammari.

X. Hinc Galenus l. 5. de loc. aff. c. 3. circa finem dicit, inflammationes, quae in pleura & musculis illi contiguis (intercostales intelligit internos) fiunt, pleuritides appellari. Et ibid. non longe à principio scriptum reliquit, fieri posse, ut una cum pleura intercostales musculi interni inflammantur: & vice versa, iis inflammatis, etiam pleura inflammatione tentetur: eò quod materia fluxionis à pleura ad musculos, & ab his ad pleuram transportari queat.

XI. Sed nova exurgit quaestio, an etiam in pleuritide pulmo sit inflammatus? Dn. Platerus tract. 2. prax. cap. 10. statuere videtur, in pleuritide etiam perpetuo pulmones inflammatos esse: idque praeter rationes, quas brevitatis causa sicco nunc pede praeterimus, αὐτοψία confirmat. Ait enim, se aliquoties in pleuriticorum cadaueribus apertis pulmonum inflammationem observasse. Verum, una hirundo Ver minimè facit: nec sequitur, quod in uno atque ahero individuo deprehensum, in omnibus in univsum animadverti.

XII. Nostra sententia est, in omni vera pleuritide pleuram inflammata esse, idque propter duplicem causam θ. 9. datam: pulmonem non semper. Accidere tamen posse haud diffitemur, ut aliquando una cum pleura etiam pulmo inflammetur: praesertim in parte superiore, ubi communio quaedam pleurae est cum pulmone: & praeterea illis in subjectis, in quibus pulmones per nexus fibrosos cum pleura coherent. Fieri namque facile potest,

potest, ut, si sanguis in pleuram præter naturam influat, etiam simul in pulmones effundatur. Tunc autem non unus affectus hominem infestat, sed duo distincti distinctis partibus inherentes. Vnde non mirum, etiam distincta se symptomata prodere, pleuritidis & peripneumonia.

XIII. Ultimò rogari posset, num etiam Mediastinum, quod Anatomici membranam pulmones intersepientem nominare consueverunt, inflammari, & pleuritidem generare valeat? Respondemus, si pleura & in posteriori, & in laterali, & in superiori, & in inferiori parte inflammari potest, & pleuritidem excitare, quidni ergò & in anteriori? cum mediastinum membrana sit duplex, dextra & sinistra, & utraque à pleura orta, imò nil aliud, quàm pleura reduplicata? Nam pleura à vertebra dorsi oritur, & utrinque ad sterni latera ascendit, iterumq; versus dorsum, tanquam ad principium suum, descendit, ipsumq; thoracem in duas partes distinguit. Vnde cum duæ illius sint partes, & tum thoracem, tum pulmonem in duas partes dividat, non immeritò à Galeno l. 6. ul. part. cap. 3. & l. 5. de anat. admin. c. 8. διαφραγλίωv ὑμέων, intersepientium membranarum nomine insignitur.

XIV. DIFFERENTIÆ pleuritidis varia sunt, à varijs rebus petita: utpote à causis, à more, à sede, sive à loco affecto, à sputaminibus, à magnitudine, à modo existendi, ab ortu, à modo invasionis: &c.

XV. Ratione causarum, alia pleuritis est vera, alia spuria. Vera rursùs vel legitima est & exquisita, vel illegitima. Veram & legitimam vocamus eam, quæ inflammatio est pleurae & musculorum illi contiguorum, qui sunt intercostales interni, inspirationi inservientes, orta à sanguine puro. Veram, sed illegitimam dicimus illam, quæ quidem dictas partes occupat, sed ex puro sanguine genita non est. Hinc alia vocatur erisipelatodis, quæ biliosa, alia œdematodis, quæ pituitosa, alia scirrhusa, quæ melancholica.

Spuriam

Spuriam nuncupamus ob causam, quæ vel flatus est, unde flatulenta: vel pituita, unde pituitosa nuncupatur pleuritis: ob locum affectum, qui est inter cutem & musculos thoracicos: vel inter hos & musculos intercostales externos, expirationem promoventes: ob symptomata & accidentia, quæ partim alia, partim & remissiora, quàm in pleuritide vera.

XVI. Ratione $\eta\theta\alpha\varsigma$, sive moris, alia benigna est, nihil venenositatis in se habens: alia maligna, imò pestilentialis, quæ malignitatis est particeps.

XVII. Ratione sedis, sive loci affecti, alia alterutrum latus, dextrum, aut sinistrum: alia, quæ tamen rara, latus utrumque: alia superiorem pleura partem, propè jugulum & clavículas: alia inferiorem, circa diaphragma & hypochondria: alia anteriorem, alia posteriorem illius partem occupat.

XVIII. Ratione sputaminum, quæ tussi eyciuntur, alia sicca est, quam Galenus $\acute{\alpha}\tau\lambda\upsilon\sigma\omicron\nu$, alij $\acute{\alpha}\tau\epsilon\tau\lambda\omicron\nu$ appellant: quoniam materia rebellis est & contumax, ut vel propter malitiam non possit concoqui, vel propter crassitiem, aut viscositatem expectorari nequeat: alia humida, in qua sputa, nunc temporius, nunc seriùs evacuantur: eaque vel suberuenta, vel subflava, vel spumosa & alba, vel livida, vel nigricantia, vel viridia, vel alio colore tincta. Item vel putida, vel inodora. Adhæc pauca, vel copiosa.

XIX. Ratione magnitudinis, alia levior est & tolerabilior, quæ & mitiorem, & paucioram habet materiam, ac proin remissior est suis in symptomatibus: alia gravis ac vehemens ob causam contrariam.

XX. Ratione modi existendi vel solitaria est, nulli alij affectui complicata: vel cum alio affectu, v. g. cum peripneumonia copulata.

XXI. Ratione ortus vel $\pi\rho\omega\tau\omicron\gamma\epsilon\nu\eta\varsigma$ est, primigenia, quæ alium affectum minimè secuta: alia $\upsilon\sigma\epsilon\rho\gamma\epsilon\nu\eta\varsigma$, sive postgenita, & succedanea, quæ vitium aliud habuit prævium, Scribit enim

enim Hippocrates in Coacis, ex dysenterico fluxu præproperè
& præcociter cohibito pleuritides, peripneumonias & articulo-
rum dolores fuisse natas. Galenus l. de ven. sect. advers. Erasistr.
testatur, se non paucos vidisse, qui dysenteria, varicibus, & hæ-
morrhoidibus intempestivè suppressis, in furorem, apoplexiam,
nephritidem, pleuritidem, hydropem, sanguinis vomitionem &
hæmoptoën inciderint. Quod ipsum quoque Hippocrates l.
6. epidem. sect. 3. in specie de solis hæmorrhoidibus memoria
prodidit, inquiens, multos hæmorrhoidum fluxu præmaturè
sedato, in pleuritidem, peripneumoniam, phagedenam, furuncu-
los, terminthos, lepram & vitiliginem incidisse.

XXII. Ratione denique invasionis alia epidemia est,
& grassatur populariter, quæ uno eodemque tempore, uno eodem-
que in loco plures invadit: alia σποραδική, quæ non multos com-
muniter, sed separatim sparsimque unumquemque aggreditur.

XXIII. CAUSAS pleuritidis quod attinet, sunt illarum
multæ, quia ipsa quoque pleuritis unius generis non est, quemad-
modum ex θ. 15. patet. Placet tamen de causis illius agere pau-
lò accuratiùs.

XXIV. Ea, si de vera pleuritide sermo sit, vel exter-
nae sunt, vel internæ. Internæ aut proxima, aut remota.
Proxima sanguis est, parti laboranti impactus: isque aut purus
& sincerus, aut alijs humoribus permistus. Unde & pleuritis va-
ria existit, quemadmodum & aliarum partium inflammationes.
Frequenter tamen pleuritidem excitat sanguis biliosus, qui tenuis
& fervidus.

XXV. Pura & mera bilis, aut pituita, aut melancholia,
pleuritidis causa minimè videntur: quoniam pleuritis phlegmo-
ne est. At omnis phlegmone, inquit Galenus l. 14. meth. med.
c. 2. sanguinea fluxionis soboles est.

XXVI. Etsi autem idem comm. 3. aphor. 33. scribat,
pleuritidem aliàs cum flavis apparere sputaminibus, & ex bi-
liosa nasci materia: aliàs cum spumosis venire in conspectum, &

ex pituita provenire: aliàs cum nigris observari, & ex melancholico humore generari: tamen hoc non de mera, pura & simplici bile, & melancholia, sed de sanguine bilioso, phlegmatico & melancholico intelligendum est.

XXVII. Remota interna causa est plethora: eaque vel pura, vel impura, quæ cacochymia est particeps: orta vel à victu liberaliore: vel à menstruorum & hamorrhoidum suppressione: vel à consueta vene sectionis intermissione.

XXVIII. Modum generationis inflammationum docet Galenus l. 14. med. meth. c. 2. Nos illum quoque ad pleuritidis ortum accommodare possumus. Diximus enim, sanguinem in causa esse, & illum ex vasis effluere, tumoremque inflammatorium parere. Effluit autem vel ob ἀναστομίωσιν vasorum, vel ob earum διαρροίωσιν. Ἀναστομίωσιν causa est triplex: sanguinis abundantia, qualis est in plethora: sanguinis fervor & tenuitas: & retentricis infirmitas, non potentis vasa claudere, & sanguinem in illis retinere. Διαρροίωσιν causa est sanguinis copia, quæ venarum tunicas distendendo tandem illas rumpit. Causæ quoque sunt res quedam externæ, vasa incidentes, rumpentes, erodentes, & contudentes: de quibus postea verba faciemus.

XXIX. Non excludimus tamen neque διάβρωσιν, sive ἀνάβρωσιν, vasorum erosionem, à re acri & mordaci factam: neque διαπύκνωσιν, per quam sanguis veluti transcolatus, sive sudoris modo transmissus fluit, tunicis vasorum rarefactis, & sanguine in illis contento attenuato.

XXX. Si roges, aequaline in quantitate sanguis per dictos effluat affectus? Respondemus nequaquam. Nam ad apertis vasorum orificiis, aut erosis disruptisve eorum tunicis, sanguis copiosius & majori cum impetu effluere solet: præsertim si vasa sint effatu digna. In διαπύκνωσιν autem exit parcius: quoniam quasi per rarefactas vasorum tunicas transcolatur, & veluti sudoris modo transmittitur. Et effluit maximè sanguis tenuis, & serosus, aut tenuis, calidus & biliosus: quemadmodum Galenus l. 3. de sympt. caus. c. 2. docet.

B

31, Ef-

XXXI. Effluit autem sanguis vel è ramis vena à ζῶν, qua cavæ est propago, nimirum cum pleuritis costas inferiores occupat: vel è surcutis intercostalis superioris, qua utrinque una, quando à ζῶν non ad omnia costarum interstitia ramos misit. Tunc enim tribus, quatuorve superiorum costarum spatys propagines largitur.

XXXII. Cum ergo sanguis effluxit, in spatiolis inanibus, qua similaribus partibus interveniunt, colligitur, putrescit, & accenditur. Hinc tumor, hinc calor, hinc rubor, hinc tensio, hinc durities, hinc renitentia, hinc dolor, hinc molesta pulsatio: quemadmodum ex Galeno l. 14, meth. med. c. 2. & l. 2. de cur. rat. ad Glaucon. c. 1. colligimus.

XXXIII. Externæ causæ variæ sunt, varijsque modis pleuritidem invehere solent: nempe sanguinem introrsum compellendo: ut frigus externum, flatus aquilonaris, frigida larga post exercitium corporis validum assumptio, corporis post sudorem, æstum & labores in aëre frigido subita denudatio. Vasa rumpendo: ut vociferatio, tussis ferina, spiritus violenta cohibitio, tubarum & buccinarum inflatio, laterum contusio & percussio, gravioris oneris gestatio. Sanguinem fundendo, & attenuando, viasque illius aperiendo dilatandoque, ut meracioris vini ingurgitatio &c.

XXXIV. Nothæ, sive spuria pleuritidis internæ causæ sunt flatus & pituita: illa præsertim, qua hyeme & aquilonaribus, aut austrinis aëris constitutionibus à capite descendit, seseque in musculos mesopleurios internos & pleuram, aut in musculos thoracis externos insinuat. Externæ verò ejusdem pleuritidis causæ sunt, quæ flatus & pituitam generant: ut sunt præcipue cibi flatulenti & phlegmatici, ejus generis sunt, faba, pisa, lentescæ, castaneæ, nuces juglandes & avellana virides, lac, lacticia, pastinaca, rapa cruda, brassica condita, cepa, allia, porrum, mustum, vina novella &c.

XXXV. Pleuritidis malignæ & pestilentialis eadem causæ sunt,

sunt, quæ malignarum & pestilentialium febrium, quæ aliquando ipsi assistit & adjuncta est.

XXXVI. SIGNA DIAGNOSTICA vel ipsius pleuritidis differentias, vel causas illius patefaciunt.

XXXVII. Veræ igitur & exquisitæ pleuritidis signa, quæ tum ratione partis affectæ, tum cause ratione talis est, sunt ἀνώρισα, ἐπισημονικά & παθογνωμονικά: & colliguntur ex Galeni lib. 5. de loc. aff. c. 3. & 8. lib. 1. de crisib. c. 5. lib. de art. constit. c. 15. & comm. 1. aphor. 12. nec non ex Aretæo, Actuatio, Tralliano, Paulo, Oribasio, & Aëtio locis supra citatis, suntque sequentia.

XXXVIII. Primum est DOLOR PUNCTORIVS: qui exacerbatur tussi, & thoracis dilatatione & constrictione. Sentitur autem potissimum ea in parte, ubi phlegmone hæret, superiori scilicet circa jugulum, & claviculas, aut inferiori, ad hypochondria. Percipitur & in lateribus: nonnunquam etiam in posteriori thoracis regione. Causa doloris est distensio pleura. Distensio oritur à repletione: repletio à sanguine, qui influxit, proficiscitur. Estque decubitus in partem dolentem facilius, quam in oppositam: quoniam si aeger in hanc partem decumbat, pensilis quasi est inflammatio, & pleura magis distenditur, ipseque tumor inflammatorius quasi quoddam onus propendet. Unde dolor est intensior.

XXXIX. Secundum, DIFFICULTAS RESPIRATIONIS. Est enim hæc frequens, velox & parva, quia ob phlegmonem & dolorem thorax satis dilatari non potest: quod tamen fieri deberet, ita postulante usu & necessitate refrigerationis, ob phlegmonem & assistentem febrim satis acutam. Itaque cum usui & necessitati magnitudine respirationis satisfieri nequeat, natura defectum in magnitudine per velocitatem & frequentiam compensare studet, & ob dolorem cogitur ad secundam statim pergere respirationem: cum prima, utpote parva, usui satisfactum non sit. Etenim velocitas non ita dolorem creat, ut dilatationis

magnitudo. Hæc quippe partem dolentem distendit: velocitas autem brevi eam ad quietem perducit.

XL. Tertium, FEBRIS, quæ continua est, acuta, & symptomatologica. Causa est: quoniam pars laborans cordi est vicina. Ideoque suum illi calorem præternaturalem impertit. Galen. l. 3. loc. aff. 3. & l. 2. de crisib. c. 10.

XLI. Quartum, TVSSIS: quoniam expultrix à materia impacta ad ejectionem irritatur. Ejicere autem illam commodius non potest, nisi per tussim: quæ tamen agro valde est molesta: idque ob dolorem, quem exacerbatur. Est vero tussis primum sicca, suntque pleuritici, ut Galenus l. 2. de crisibus c. 10. loquitur, ἀπολωσοί, nihilque expuunt: quia materia adhuc est cruda. Postea humida, quia phlegmone est maturata.

XLII. Quintum, SPVTVM, quod varium est & multiplex, pro varietate materia: nimirum cruentum, sive rubrum, album, pallidum, flavum, nigrum, lividum, spumosum: ut habetur apud Galen. l. 2. de cris. c. 10. lib. 5. loc. affect. c. 3. comm. 6. aphor. 33. & comm. 4. in libr. Hipp. de vict. acut. §. 72.

XLIII. Sextum, PVLSVS, qui durus, parvus, frequens, celer, & serratus. Durus, quia pars affecta est membranosa, & propter repletionem ac inflammationem tensa. Parvus, eandem ob causam. Durities enim & densitas membranae non ita arterias distendi & dilatari sinunt, quemadmodum calor febrilis, ipseque adeo usus ac necessitas postulant. Celer est & frequens, ut compensetur velocitate & crebritate, quod magnitudine præstari nequit. Serratus est, quia dum tangitur, serræ secantis dentes representare videtur.

XLIV. Aretæus l. 1. de caus. & sign. acut. morb. c. 10. quinque signis recensitis etiam quedam addit alia, nimirum ἀνοηξία, delirium, & malarum ruborem; quæ tamen communia sunt, nec semper in quavis pleuritide se offerunt.

XLV. Signa causarum pleuritidis petuntur partim à colore sputaminum: partim verò à temperatura agri, ejusque
ætatē,

etate, victu precedente, habitu corporis, vita instituto & consuetudine, similiter & à regione annique tempore. Etenim, rubra sputa produnt sanguinem: flava, pallida, aut subpallida, bilem: alba & spumosa pituitam: livida vel nigra melancholiam, auctore Galeno locus θ. 42. citatis. Ita temperatura pleuritici calida, etas juvenilis, victus calidior, exercitia crebra, astas, regio fervida, calidos humores pleuritidi occasionem prabuisset significant: hisce verò contraria frigidus.

XLVI. Priusquam ad signa prognostica accedamus placeat s. premittere problemata.

Primum est, quæ causa, quòd pleuritis per sputamina purgetur, cum pleura, & muscoli illi contigui sint inflammati, pulmo autem non semper laboret?

Secundum, quot modis materia pleuritidis, imò & peripneumonia ac empyematis, & per quæ loca evacuetur?

Tertium, quo pacto materia ad pulmonum bronchia, sive fistulas perveniat, indeque per os eiciatur?

Quartum, per quas vias interdum per meatus urinarios, & alvum excernatur?

Quintum, quomodo pleuritis à peripneumonia & hepatis inflammatione internoscatur, cum constet, affectus istos multa habere communia? v. g. febrim acutam, dyspnoeam, tussim &c.

XLVII. Ad primum respondemus, causam esse, quia materia pleuritidis suo in loco non manet, sed maturata, & in pus conversa partim in pulmones, partim in thoracis cavitatem delabitur, indeque ad pulmonum fistulas transfertur, tussique expuitur. Est enim eadem hic ratio, quæ in inflammationibus alijs, quæ non per modum διαφωγήσεως, digestionis, sive dissipationis, materia in halitus mutata, sed per modum ἐκπύσεως, eadem in pus redacta, solvuntur. Primum enim sanguine è conceptaculis suis in vacua illa spatiola, quæ in partibus similaribus, organum aliquod constituentibus, reperiuntur, effuso, inflammatio oboritur, eaque novo semper affluente sanguine incrementum capit. Dein-

de sanguis ille suppuratur, vocaturque puris collectio ἀπόστημα, abscessus. Tandem abscessus rumpitur, fitque in pleura ulcus: è quo purulenta substantia in thoracis cavitatem defluit: ad pulmonum bronchia se confert, & per superiora tussi expectoratur. Rumpitur autem abscessus, vel à quantitate puris pleura distenta: vel à qualitate illius acri erosa.

XLVIII. Ad secundum. Materia pleuritidis, si tenuis sit & pauca, διαφύσσει ferè, materia à calore discussa dissipataq, educitur: si crassa & copiosa, ἐκπύσσει, eadem in pus mutata, evacuatur: quæ postea aut per ἀνακτάσσειν, per os, aut per ἐπιπέσειν, per urina ductus, aut per διακώπσειν, ἢ διάρσειν, per alvum, aut per ἀπόστημα, per abscessum, eumq, vel in thorace ipso, vel in parte aliqua thorace superiore, aut inferiore, factum, excernitur. Plerunque tamen per os: raro per urina meatus: varius per alvum: rarissimè per abscessum: aliquando etiam per os & abscessum thoracis, itemque per sputum & menses. Qua de re videantur historia memorabiles apud Schenckium l. 2. obser. 97. 98. 99. & 100.

XLIX. Ad tertium Galenus l. 5. de loc. aff. c. 3. respondet. Prasupponit autem, fabulam neutiquam esse, si dicatur, aliquid interdum ex cavitate thoracis per tussim expui posse. Declarat id exemplo vulnerum, ulcerum, abscessuumque thoracis, quorum materia in cavitatem thoracis penetravit. Nam si hydromel abstergendi, mundificandi, & purgandi thoracis gratia per siphonem foris in cavum thoracis spatium infundatur, & egro, ut tussiat, precipiatur, hydromel tussiendo expui deprehendatur, & ager ipse ex sapore facile cognoscet, hydromel se reddidisse. Verum, per quam viam & pus, & hydromel asperam ingrediatur arteriam, perpendendum esse dicit, ne in illum errorem, in quem multi inciderunt, delabamur.

L. Arbitratur autem, materiam, quæ à pleuriticis expuitur, per μετάδοσιν, transumptionem ad bronchia pulmonum pervenire. Membranulam enim pulmones involuentem esse tenuem
admo-

admodum atque subtilem: substantiam pulmonum raram, laxam
& spongiosam: fistulas eorum, cum cartilaginea sint, semper ob
ingressum & egressum aëris apertas: thoracem & pulmones in
perpetuo motu, ita ut in inspiratione materia in cavo pectoris
contenta possit attrahi, & à pulmone inflato, qui spongia instar
se habet, fugi: expiratione autem ad bronchia impelli. Nisi enim
hanc *πείραδοσιν* concedamus, viam nullam demonstrare poterimus,
per quam pus empyicorum, & eorum, qui vel vulnus, vel ulcus,
vel ruptum abscessum in thorace perpepsi, expuendo educatur.
Quod si, ait idem Galenus, in fracturis, cum cutis superposita
adhuc est integra, sanguis aliquando per eutem, membranam
crassissimam, transmitti potest, & circumvolutas fascias cruenta-
re, quidni & pus empyicorum & pleuriticorum per subtilissi-
mam pulmonum membranulam quasi transudare posset, in bron-
chia eorum se insinuare, tandemque irritata expultrice faculta-
te in asperam arteriam devenire?

LI. Ad quartum dicimus, dubium valde esse, per quos
ductus idem pleuriticorum, peripneumonicorum & empyicorum
pus, aut si qua est alia materia, unà cum urina & facibus alvi,
expurgetur.

Galenus lib. 6. de loc. aff. c. 4. scribit, raro quidem accide-
re, ut thorax & pulmo per alvum vacuentur: cumque causam
istius eventus nonnulli ignorarint, neque id unquam in aegrotis
accidisse viderint, quod à multis observatum est, negasse, abscessum
in pulmonibus rupto pus per renes excerni posse. Sanctè autem
affirmat, se pulmonis vomicam per urinam, thoracis autem per
intestina & alvum expurgatam vidisse.

Subdit porro, transitum ex pulmone per renes nullam exci-
zare debere dubitationem: cum & à vena cava, & ab arteria
magna rami ad renes descendant. Hoc quidem quesitum non
parum Erasistrati sectatores torsisse, quod Praeceptorem suum se-
cuti prater solum spiritum in arteriis nihil contineri credide-
runt: sibi verò nil peperisse difficultatis, ut qui intellexerit, be-
vem.

venam pulmonis arteriam, h. e. arteriam venosam, qui aërem ex pulmone cordi adfert, & è corde fuliginosa excrementa educit, quantum puris ex rupta vomica suscipit, id in sinistram cordis sinum deferre posse: quod postea in magnam arteriam incidat, & per renes ad vesicam abeat. Quod tamen non ita frequenter evenire testatur, eò quòd pus prius in asperas arterias magna ex parte sit transumptum: & subinde per tussim exscreatum. Cur verò pus pleuriticorum, peripneumonicorum & empyicorum per alvum egeratur, aliam, & raram causam habere asserit. Esse autem istam. Cava vena, inquit, vase quodam mediante, vena, quae caudici arboris proportionem respondet, adeoque Græcis *σελεχιόνα* nominatur, nonnunquam adaptatur. Quapropter, pus rupto abscessu primùm in se recipit arteria venosa, ac subinde in dextrum cordis sinum defert, à quo in venam cavam, & ab ea in venam *σελεχιόνα*, hoc est, in venam portam caudicem, sive truncum, à quo tandem per venas mesenterij in intestina & alvum derivatur. Hanc tamen vacationem rarò contingere asserit, quoniam corporum raras constitutiones etiam rara sequi soleant accidentia. Rarò namque venam cavam caudici vena portae adaptari persuasum habuit.

LII. Hoc autem Galeni placitum aliquot patitur difficultates.

Primùm, quia scribit, venam cavam rarò truncum vena portae adaptari: & propterea etiam hanc pleuriticorum & peripneumonicorum evacuationem raram esse. At in dissectionibus observatum, radices vena cave cum radicibus vena portae in hepatis parenchymate per *ἀσασμώσεις*, non rarò, sed semper & in omnibus hominibus copulari: alias nulla fieri posset sanguinis in hepate confecti *ἀνάδοσις* in reliquum corpus.

Deinde, quoniam truncus vena cave cum truncum vena portae non conjungitur.

Tertiò, quoniam vena cava trib. est instructa valvulis, quae foris sunt apertae, ut aliquid per illas in dextrum cordis sinum
immit-

immitti possit: intus autem clausa, ut nihil emitti queat. Qui ergo pus, ab arteria venosa exceptum, & in dextrum cordis ventriculum delatum, per venam cavam aliò ablegari potest?

LIII. Cur verò eadem purulenta materia per urina ductus nonnunquam educatur, causam hanc esse dicit: quia pus à pulmonum substantia suctam in arteriam venosam fertur: ab hac in sinistram cordis sinum: ab isto in truncum aorta: & ab hoc in emulgentes.

LIV. Sed tametsi via hinc monstratur manifesta, duo tamen sunt, quæ huic sententia obstare videntur.

Primum, quoniam natura in more positum habet, ut noxia per conferentia loca expellat. At quis dicet, cor & arterias loca conferentia esse?

Deinde, quia pus per loca hæc transiens, inquinaret sanè spiritus vitales, imò syncopen, aut saltem leipothymiam causaret, cum putridum sit & putidum.

Hisce objectionibus respondet Andr. Laurentius l. 9. anat. c. II. quæst. 12. si hæc puris per sinistram sinum transfusio fiat, ut diximus, vi natura, constantibus ægri viribus, & fiat subito, fieri posse sine magno ægri incommodo. Vitales enim spiritus à natura conservari, & noxia tantum excludi, quemadmodum hoc ipsum in alijs quoque criticis excretionibus accidere solet. At si contingat $\sigma\upsilon\mu\pi\lambda\omega\mu\alpha\lambda\iota\kappa\omega\varsigma$, debili existente virtute, verum esse, quòd cor inde ejusque spiritus graviter affligantur.

LV. Regeres, Aristotelem asseverare, Cor nihil grave pati posse. Respondetur, dubium nullum esse, quin mali aliquid passum male habeat: sed negatur, id statim cum periculo vitæ fieri. Consultantur observationum Scriptores, & reperietur, in corde & vermes, & calculos, & abscessus, & callos, & carnosas excrescentias, & tumores. & apostemata, & ulcera, & saniosam putridamque illuviem inventam fuisse: id quod Schenckius l. 2. observat. 193. 194. 195. 196. 198. 202. 204. & 207. ex variis authoribus demonstrat.

LVI. Quod si haec via, per quas empyicorum, peripneumonicorum, & pleuriticorum pus per renes & album vacuari dictum fuit, minus arrideant, tunc recurrere licet ad illa $\alpha\theta\beta\rho\delta\epsilon\zeta\eta\theta$: totum corpus esse $\sigma\upsilon\pi\pi\acute{\rho}\sigma\upsilon\chi$, $\sigma\upsilon\mu\pi\upsilon\delta\upsilon$: vias esse non solum manifestas, sed etiam abditas atque occultas: Naturam sibi semper vias moliri, easque in promptu habere, tametsi nobis sint abscondita: meatus in defunctis cacos esse multos, qui tamen in viventibus vi caloris & spirituum sint aperti. Unde mirabiles cernere licet tunc humorum $\mu\epsilon\lambda\alpha\varsigma\delta\omicron\sigma\epsilon\iota\varsigma$, tunc $\epsilon\kappa\upsilon\pi\iota\sigma\epsilon\iota\varsigma$, tunc $\alpha\omega\theta\iota\sigma\epsilon\iota\varsigma$, spontaneo natura motu factas.

LVII. Ad quintum problema respondemus distinctè. Discernitur pleuritis à peripneumonia: I. quia in illa est punctorius lateris dolor, in hac, siquidem fuerit solitaria, nullus. Nam si solus pulmo sit inflammatus, gravativus potius adest dolor, usque non, ut in pleuritide plerumque fieri consuevit, in dextro sinistrove latere, sed in ferè media thoracis cavitate. II. quia in pleuritide pulsus est durus, serratus, ac parvus, eò quòd pleura, quae dura est ac tensa, sit inflammata: ac propterea non sinat arterias ita distendi, quemadmodum auctus calor postulat. Unde accidit, ut sit crebrior ac celerior: ut cum thorax ac pulmo ob phlegmonem & dolorem distendi nequeant, quemadmodum secundum naturam consueverant, eumque ob praesentiam phlegmones & febris satis acute respirationi per magnitudinem dilatationis satisfieri non possit, defectus per celeritatem ac frequentiam illius compensetur. Est quoque idem pulsus serratus, quia dum tangitur, ferrae dentes representat: siquidem alia pars arteriae attolli, alia non attolli videtur: Galeno l. de puls. ad Tyron. & l. 4. de caus. puls. c. 7. authore. In peripneumonia pulsus est magnus, laxus & undosus. III. quia respirandi difficultas in peripneumonia major est, quam in pleuritide: & tanta quidem, ut agri saepè erecta cervice spiritum ducere cogantur, & propemodum de suffocatione periclitentur. Aër quoque, quem peripneumonici expirant, longè est fervidior eo, quem pleuriticis

tici emittunt. IV. quia in peripneumonia rubor faciei, ac præcipuè malarum, multò est intensior, quàm in pleuritide. Videatur Galenus Comm. 3. in l. de vict. acut. §. 58. & l. de subfigur. empir. c. 6.

L X. Internoscitur deinde pleuritis ab inflammatione jecoris. I. quia dolor in pleuritide est punctorius: in hepate gravativus. II. quia dolor in pleuritide est in thoracis aliqua parte: in hepate perpetuò in hypochondrio dextro. III. quia pulsus in pleuritide est durus, tensus, & serratus: in hepate nequaquam. IV. quia tussis est in pleuritide ut plurimum humida, præsertim in morbi progressu, & cum pleuritidis materia est sequax & ad maturitatem perducta: in hepate tussis quidem excitatur, sed sicca: neque tamen adeò frequens est, ut in pleuritide: in qua pro diversitate causa varia tussiendo expuuntur, rubra, flava, alba, livida, nigricantia &c. Paul. l. 3. c. 33. & Trallian. l. 6. c. 1. V. quia anhelitus difficultas in hepate est longè minor, quàm in pleuritide. VI. quia quemadmodum sputa cernuntur in pleuritide, sic in hepate excrementa alvi & vesicæ observantur varia. Gibba enim hepatis per urine ductus: sima verò sive cava, per album educuntur: teste Galeno l. 13. meth. med. c. 17. Atque hoc discrimen propterea diligenter notandum est, quia pleuritis & hepatis multa habent communia, nimirum febrim, tussim, dyspnoeam, dolorem &c. ne nobis eveniat, quod Galenus l. 5. loc. aff. c. 7. cuidam Siculo accidisse Medico scribit, qui cum hepate laboraret, pleuriticum se esse arbitratur.

L XI. Si queras, quomodo pleuritis à phlegmone diaphragmatis distinguatur, respondetur, in hac dolorem non in lateribus thoracis, sed extremitate costarum ad finem sterni sentiri: ventrisque imi partem, ubi diaphragma situm, turgere. Tussim quidem urgere, sed nil expui: & delirium adesse: in illa dolere latera pectoris, imum ventrem minimè tumere, abesse ut plurimum alienationem mentis, & unà cum tussi quippiã expui, nisi pleuri-

pleuritis adhuc sit cruda, aut maligna, cujus materia concoqui nequeat.

LXII. Differt autem vera pleuritis à spuria, quae flatulenta & phlegmatica, quia in hac desideratur febris: tussis non urget: nihil expuitur: pulsus ferè naturalis est: decubitus facilis est in partem sanam: ceditque brevi topicorum calorificorum & discutientium admotione: dolor ferè vagus est, si sit flatulenta pleuritis, neque perpetuus, sed per intervalla recurrens, & saepe ex una parte migrat in aliam. Contrarium fit in pleuritide vera.

LXIII. Quodsi spuria pleuritis facta sit ob inflammationem externorum thoracis musculorum, (est enim spuria pleuritis duplex: una ratione causa, altera ratione partis affecta) distinctiva signa juxta Paulum l. 3. c. 33 sunt sequentia. Aegri neque tussunt, neque spuunt, neque pulsum habent durum: & si quis manum dolenti loco admoveat, dolent: & si tumor non fuerit discussus, suppuratur, ut foris sit incidendus: non denique ita acurè febriunt, ut vera pleuritide conflictati.

LXIV. Maligna pleuritis cognoscitur ex grassatione malignorum morborum, febrium scilicet pestilentialium & mali moris: ex virium dejectione: pulsus languore: sputo nullo, vel male colorato, crudo, & pravi odoris.

LXVI. Tempora pleuritidis conijcit Galenus ex sputaminibus, l. 1. de crisib.

Nam si morbus adhuc sit in principio, sputum aut nullum est, aut paucum, idque crudum, quod cum difficultate excreatur: & symptomata sunt leviora. Si in augmento, sputum est uberius, crassius, faciliusque tussi egeritur: & accidentia ingravescunt. Si in statu, symptomata vehementer urgent, sputum est largum, coctum, mediocriter crassum, rejectu facile.

Si in declinatione, accidentia omnia mitiora sunt, h. e. dolor est remissus, liberior respiratio, febris defervuit, sputum diminutum.

LXVI. *Hæc de SIGNIS DIAGNOSTICIS. Sequuntur
PROGNOSTICA:*

LXVII. *Vera pleuritis magnus & acutus est affectus. Maligna lethalis. Spuria, quæ flatulenta, cujus materia se inter musculos & pleuram insinuavit, periculo caret. Phlegmatica diuturnior quidem est flatulenta, sed tamen & ipsa extra vitæ discrimen posita.*

LXVIII. *Biliosa pleuritis acutior est sanguinea. Hæc vehementior phlegmatica. Activior enim est bilis sanguine: & iste potentior phlegmate.*

LXIX. *In qua pleuritide sputum maturè apparet, scilicet tertio quartove die, brevi durare solet: in qua tardè, longior existit. Hipp. aphor. 12. sect. 1. In illa enim materia sequax est & coctilis, & calor natus vegetus. In hac materia contumax & rebellis, calor verò debilis.*

LXX. *Pleuritis ἀνώγυς, sputo carens, quæ sicca aliàs dicitur, mala est, hominemque è medio tollit, vel longo temporis spatio durat. Bona contra, in qua sputamina tempestivè conspiciuntur. Galen. l. 5. loc. affect. c. 5. & comm. 1. in l. 3. epid. §. 4. Illius enim materia ob malitiam coctionem respuit. Hujus eam ob benigniorem naturam admittit.*

LXXI. *Sputamina nigra, flava admodum, spumosa, fætida, aut etiam suppressa, dolore punctorio urgente, & difficili respiratione ægrum valdè molestante, indicia sunt lethalia. Galen. l. de tot. morb. tempor. c. 6. Parum tuta quoque sunt sputa viridia, viscida, & livida: uti ex prognost. & lib. de vict. in acut. colligitur.*

LXXII. *Pleuritis senibus plerunque exitium adfert: quia ob virium imbecillitatem tanti hostis impetum & ferociam ferre nequeunt. Ob caloris verò infirmitatem peccantem materiam, præsertim si sit contumacior, concoquere minimè possunt: imò ne coctam quidem aliquando sufficienter extussire queunt.*

LXXIII. *Lethum quoque ut plurimum accersere solet*

gravidis, sicut & quivis alius morbus acutus: juxta aphor. Hipp. 30. sect. 5. Tenui enim hic opus victu, quem tamen foetus tolerare nequit. Plenior vero si foetus causa offeratur, matri plurimum incommodatur, quoniam febrilis calor augetur, & natura à concoquendi munere avocatur. Non etiam sat tuta sunt evacuationes, quae hic necessariae. Et febris ipsa spiritus dissipando vires Matris demolitur. Ea vero enervata, foetus quoque una debilitatur.

LXXIV. Si in pleuritide extrema frigeant, facies sit collapsa, pulsus languidus & parvus appareat, respiratio sit admodum difficilis, dolor atrox, vigiliae juges, deliria intensa, sputa, quae prius succedebant, suppressa, & diarrhoea superveniat, aegrotantis interitus portenditur.

LXXV. Qui pleuritide laborant, nisi intra dies 14. superne, h. e. per sputa repurgentur, iis in empyema mali sit translatio: Hipp. aphor. 8. sect. 5. Pleuritis enim ut plurimum suppuratur. Suppuratione facta, fit abscessus. Hoc rupto, pus in cavitate thoracis defluit: cujus collectio in cavo pectoris empyema vocatur.

LXXVI. Qui ex pleuritide empyi fiunt, si à ruptione empyematis intra dies 40. repurgentur, liberantur: alioquin in tabem transeunt: Hipp. aphor. 15. sect. 5. Ultimus enim pleuritidis terminus, ut & aliorum exquisitè dictorum acutorum morborum, est juxta Hipp. aphor. 23. sect. 2. decimusquartus. Ultimus empyematis terminus dies 40. Quare, si pus hoc temporis spatio non expuatur, sed in cavitate thoracis maneat: idque aut propter infirmitatem aegri, qui pus expuere non valet: aut propter puris crassitiam, quod aegre, & non nisi cum aliquo conatu eijcitur, tunc pus putrescit, fitque acrius, & pulmonem exulcerat, ex quo tabes consequitur. Galen. in comm.

LXXVII. Pleuritide, aut peripneumonia detento, diarrhoea superveniens, malum: Hipp. aphor. 16. sect. 6. Loquitur autem Hippocrates, ut Galenus in comm. monet, de forti vali-

validaque pleuritide, qua tanta, ut etiam hepar compatiatur. Non enim alimentum probe attrahit, neque in sanguinem rectè convertit. Ventriculus etiam coaffici in ejusmodi pleuritide videtur, & alimentum corrumpere. In mediocri verò pleuritide & peripneumonia diarrhoea quandoque prodest, & quidem evacuationis ratione. Idque eò magis, cum signa concoctionis apparuerint. Dicitur enim supra, quòd pleuritidis materia non solum per os, sed interdum etiam per urinæ meatus intestinorumque ductum evacuetur.

LXXVIII. Qui acidum ructant non admodum sunt pleuritici: Hippocrates aphor. 33. sect. 6. Acidus autem ructus edunt illi, quorum ventriculus frigidus est, aut pituitosis humoribus scatet, qui in ejusmodi ventriculo corrumpuntur. Rationem autem aphorismi Galenus in comm. exponit. Acidum namque ructantes phlegmatici sunt. At pleuritis plerunque cholericos invadit. Densa quippe est pars affecta, quia membranosa: ac propterea non facile frigidos crassosque humores, quales phlegmatici sunt, admittit. Excipit autem biliosos, qui sunt tenues. Quod si phlegmata sint salsa, & acrimoniam in se habeant, intestina irritant, & tunc unà cum alijs superfluitatibus excernuntur. Hinc fit, ut phlegmatici acidumque ructantes minus pleuritide corripiantur.

LXXIX. A pleuritide peripneumonia malum: Hippocr. aphor. 11. sect. 7. Galenus ait in comm. aphorismum istum geminum habere posse sensum: Vnum, quòd pleuritis in peripneumonia mutetur. Alterum, quòd pleuritidi peripneumonia superveniat. Morbus autem transmutatur, quando prior cessat, & alter accedit. Supervenit verò, cum alter adhuc manet, & advenit alter. Videtur verò, subdit Galenus, Hippocrates hic loqui de morbo superveniente: qui aequè ac prior malus. Nam supervenientes morbi neque parvos, neque mites consequuntur morbos, sed magnos & pravos. Supervenit autem pleuritidi peripneumonia, quoniã non totus humor, qui pleuritidis causa est, in
pleura

pleura continetur, sed aliqua illius portio ad pulmonem fertur. Contrà, pleuritis non admodum peripneumonia supervenire solet. Nam si inflammatio fuerit mitis & benigna, omnis humor noxius per tussim expurgatur. In perniciosis autem, antequam pleura compatiatur, ager strangulatur.

LXXX. Quibus hamorrhoides naturaliter & sponte sua fluunt, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedana, neque δολίσι, furunculis, neque θερμίνθοις, h. e. nigricantib. tuberculis, in tibys maximè conspicuis, neque lepra, neque vitiliginibus corripuntur. Multi autem ἀνάσσωσες sanati hisce affectibus prehensi sunt, & fuerunt ὀλέθριοι, perniciosi. Ratio dicti est, quoniam hæc morborum genera à πλεθώρα, aut κακοχυμία oriuntur: quæ causa cum per fluxum hamorrhoidalium venarum, nature motu & sua sponte fluentium, tollantur, nil mirum, ipsa quoque vel præcaveri absentia, vel auferri præsentia. Generari autem, fluxu isto intempestivè sedato, quia causa illorum in corpore manet.

LXXXI. Pleuritis hyeme potissimum dominari solet: Hipp. aph. 23. sect. 3. quoniam per hyemem, suam temperaturam servantem, caput pituita & aqua refertum est, seseque in partes thoracis, quæ non solum sua natura, ob exanguem naturam, osseam scil. cartilagineam & membranofam, debiles sunt, sed & debiliores ob aërem frigidum, quem inspirant, factæ, exonerat. Frequens etiam est pleuritis, cum post Austrum spirat Boreas. Exprimunt enim humiditates cerebri, austrina constitutione imbibitas: quæ si ad pectus delabantur, pleuritidem creare solent.

LXXXII. Pleuritis igitur ista spuria est, non exquisita. Exquisita tamen etiam oriri potest per accidens, in corporibus maximè multo sanguine abundantibus, frigore sanguinem ad interiora repellente, qui postea vasa duriora, densiora, angustioraque facta vel rumpit, vel orificia eorum diducit, quo fit, ut extravasetur, putrescat, phlegmonem in musculus internis thoracis & pleura efficiat, qui pleuritidis nomine venit.

LXXVIII. Superest *CVRATIO*, quæ si sit dogmatica, methodica & rationalis, indicationibus, tanquam solidis & immotis fundamentis, innititur, petitis ab indicante curatorio, quod est morbus: præservatorio, quod est humor affluens partim, partim is, qui jam influxit, & loco laboranti est impactus: quorum ille causa est $\pi\omicron\pi\omicron\gamma\sigma\mu\acute{\epsilon}\nu\eta$: hic causa $\sigma\omicron\upsilon\upsilon\epsilon\lambda\iota\chi\eta$: & Vitali, quod est Virtus.

LXXIX. Morbus tumor est inflammatorius, de quo laborandum non est: quoniam causa ejus remota, ultrò evanescit, cura peculiaris nihil indigus.

LXXX. Causa tumoris humor est, modò sanguis purus: interdum biliosus: aliquando pituitosus: rarò melancholicus. Ut autem humor vel jam influxit, & immediata pleuritidis causa est: vel adhuc versatur in motu, priorem fovens & augens: ita geminum poscit auxilium. Ille quidem digerendus & discutendus: aut si hoc fieri nequeat, maturandus, & natura in supuratione juvanda. Hic verò divertendus & derivandus: non omisus tamen, ut mox dicemus, universali corporis cura.

LXXXI. Virtus bonam dietam postulat, ut conserve-
tur, quia res est naturalis.

LXXXII. Symptomatibus tamen, si vehementer urgeant, ut sunt dolores punctorii, vigilia &c. etiam occurrendum: quia vim causarum habent, & quidem vires admodum debilitantium.

LXXXIII. Initium curæ faciendum ab expurgatione primarum viarum per suppositoria, enemata, illa pharmaca, quæ lenitiva & $\epsilon\kappa\kappa\omicron\tau\omicron\sigma\mu\lambda\iota\chi\alpha$ appellantur: post ad sanguinis detractionem accedendum: tùm corpus leniter purgandum: inde ad discutientia, aut maturantia topica progrediendum: simul etiam ea adhibenda, quæ sputum promovent, & expectorationem juvant: & quia punctorii dolores laterum vehementer urgent, adeò ut illorum causa pleuritici difficulter respirarent, magno cum cruciatu tussiant, vigiles insomnesque noctes

D

tradu-

traducant, & magnam virium suarum jacturam patiantur, illi placandi.

LXXXIX. Venæ sectio administretur statim in principio, ut sanguis, qui adhuc influit, à loco inflammato avertatur: calor febrilis mitigetur: dolor punctorius quodammodo compescatur: natura in plethoricis & succulentis corporibus onere, quo premebatur, sublevetur. Administretur autem κατ' ἴξω, in brachio dolenti lateri respondenti: quavis diei noctisque hora: & habeatur ratio virium, ætatis, morbi magnitudinis, anni temporis, regionis, consuetudinis, & aliarum circumstantiarum. Pro varietate enim circumstantiarum plus minusve vacuandum. Iteretur etiam sanguinis detractio, si vel propter virium & ætatis infirmitatem una vice tantum detrahere non liceat, quantum magnitudo morbi exigit: vel si intetio fuerit natura viam aliam monstrare. Assuescit enim tandem natura loco alij, aliquoties à pristina via advocata. Quod si vena sectio fuerit neglecta, etiamsi plures jam dies præterierint, dummodò indicans adhuc vena sectionis præsens fuerit, sanguis mittendus. Quocunque enim die, inquit Galenus l. de cur. rat. per S. M. c. 20. mittendi sanguinis scopos in laborante inveneris, in eo auxilium illud adhibeto, etiamsi vel vigesimus is ab initio extiterit. Quod præceptum felicissimo cum successu in Oeconomo divitis cujusdam Romani, qui secta vena etiam vigesimo morbi die ab ocularum inflammatione, & cæcitatæ periculo fuit liberatus, ad usum transtulit. Historia legatur integra lib. de cur. rat. per S. M. c. 17.

XC. Purgatio adhibeatur, si sanguini, inflammatorij tumoris causæ, humores biliosi, phlegmatici, melancholici, aut serosi fuerint permisti. Fortia autem vehementerque purgantia vitentur. Sunt enim præcalida: vires debilitant: & fluxum humorum augent.

XCI. Sint igitur Clysteres parati ex decocto Herbar. Malva, Althææ, Mercurialis, Parietariæ, Rad. Lilior. albor. Flor. Chamæmel. & Meliotti: Seminib. Lini & Fænogræci, Prunor. dulcium, Ficuum,

cum, Hordei delibrati. Colaturæ addantur Vnguentum clysmat.
Oleum lil. albor. oleum violar. oleum chamam. mel violar. mel mer-
curial. diacathol. elect. lenit. casia pro clysterib. extracta, saccha-
rum rubrum &c.

XCII. Clysteris loco usurpetur Manna elect. dissol. in de-
coct. commun. lenit. decocto pectorali, decocto cordiali, decocto
flor. & fructuum.

Vel Casia recens extracta: Diaprun. simpl. syrup. de Manna,
syr. Violar. & Rosar. solutivus.

Vel infusio paretur folior. & folliculorum Sena in dictis de-
coctis, aut decocto prunor. vel passularum.

XCIII. Eadem purgatio etiam locum habet in morbi
progressu. Iteranda enim in corporum impuritate, ut omne no-
cumentum à loco affecto avertatur.

XCIV. Sputum promoventia & expectorationem
faciliorem reddentia sunt sequentia, quæ in officinis semper in-
veniuntur parata.

Aquæ pleuriticæ, utpote Cardui Maria, aquæ Taraxaci, aq.
Card. benedict. aq. Scabiosa, aq. flor. Acacia.

Quibus addere licet, Aq. Veron. aq. Capill. Vener. Aq. Vrtica,
aq. Succisa, aq. Hedera terrestr. aq. Cherofol. aq. Sonchi asperi.

Calidiores, quæ & ipsa attenuando, incidendo, abstergendo
expectationem juvant, ob febrim, quæ pleuritidi semper adha-
ret, studio nunc omittimus.

XCIV. Secundum locum tenent Syrup. Scabios. syr. Veron.
syr. Capill. Vener. syr. Glycyrrhiz. syr. Althæa. syr. ex succo Hede-
ra terrestr. Calidiores rursus ob causam indicatam silentio regi-
mus.

XCVI. Tertia classis sunt Conserva flor. Acac. cons.
Scabios. cons. Veron. cons. Farfara, cons. Capillor. Veneris.

XCVII. Quarti ordinis sunt Loch, Lohoch, sive Lin-
ctus & Eclegmata: ut Loch de farfar. Loch san. & expert, Loch
passular. Loch de caulibus.

XCVIII. Ex speciebus se offerunt Sp. diair. simpl. Sp. diair. Salomonis, Sp. diapenid. Calida locum non habent.

XCIX. Ex syrupis & aquis recensitis fiunt Iulepi: ex conservis, eclegmatibus, & speciebus, cum syrup. concorporatis Electuaria conficiuntur.

C. Peculiari virtute pleuriticis prodesse dicuntur, Dens apri, Dens Castoris, Dentes Lucij piscis cum mandibula, Lapis Carpion. Lap. Percarum, Talus leporis, Talus capreolorum, Priapus zauri, Priapus Cervi, Oculi cancrorum, Succinum alb. preparat. Sperma ceti.

Radix Lappæ majoris, Rad. Aristoloch. Lignum Visci quercini, Cortices Avellanarum rubrarum.

Flores Papaveris errat; itemque Pul. & syrup. eorum.

Semen Card. Maria: Card. benedict. Scabios.

Aqua è florib. Chamemeli destillata, cum sacchari unc. dimid. ad uncias 4. hausta mirabile praesidium à nonnullis esse dicitur.

Sal Hyperici.

CI. Ex hisce simplicib. & pulveres, & decocta, & infusiones, & formulae aliae parari queunt.

CII. Dolores punctorij cum vehementer urgeant, faciantque, ut agri difficulter respirent, magno cum cruciatu tussiant, vigiles insomnesque noctes traducant, & magnoperè debilitentur, sui mitigationem requirunt.

CIII. Licet autem illos mitigare, & simul etiam impactam materiam vel digerere, vel suppurare, ysdem penè remediorum formulis, nimirum unguentis, fomentis, cataplasmatibus, pulticulis, & emplastris.

CIV. In officinis prostant unguent. anodynum, ungu. dialthææ, ungu. resumptivum.

Emplastrum de Meliloto.

Oleum amygdal. dulcium, oleum chamemelin. oleum anethin. ol. matricariae, ol. ex vitellis ovorum. ol. commune.

CV. Fomenta humida applicantur eum sacculis, lana succida, spongia, aut vesica suilla, vel bubula, conficiunturque ex decocto rad. Althea, Rad. Lil. albor. Herbar. Malva, Althea, Matricaria, Flor. Chamamel. & Melilot. Summitat. Anethi, Semin. Lini, Fænogræci, & Malva.

CVI. Cataplasmata fiunt ex simplicib. modo enumeratis, ad contabescentiam, ut loquuntur, coctis: deinde pistis: tum cretus: ultimò additis butyro, pinguedine capri, aut gallina, croco, & oleis, quæ jam proposita.

CVII. Pultriculæ concinnantur ex pulv. rad. Althea, rad. lil. albor. flor. Chamamel, & Meliloti, Farina sem. Lini, & Fænogræc. additis oleis modo narratis.

In more quoque positum habent Practici, ut pultem conficiant ex mica panis similaginei, in lacte vaccino, ovillo, aut caprino modicè decocta, addendo in fine parum croci, & olea convenientia, quæ anodyna & diaphoretica, aut suppuratoria virtute polent.

CVIII. In maligna & pestilentiali pleuritide intrinsecus bezoartica & alexipharmaca conveniunt: foris autem ea admoventur, quæ bubonibus pestilentialibus sunt accommodata.

CIX. Interna ex simplicibus sunt, lapis Bezoar Orient. Cornu cervi ust. & preparat. Corallia prepar. Margarita prepar. Lapid. pretiosi, Terra Lemnia, Silesiaca, & Bolus Armena preparat.

CX. Ex arte factis officinalibus sequenzia.

Aqua Card. bened. Succis, Scorzoner. Flor. Citri, Angelic. Imperator. Petasit. Vincetox. scordij, Calendul. Scabios. Meliss. Helen. Cortic. Citri.

Syrupus Scabios. Melissophyll. Card. bened. Cort. citri.

Conserva Meliss. Scabios. Card. benedict. Veron. Flor. Citri, Flor. Caryophyll.

Cortices Citri condit. Cort. aurancior. condit.

Pulvis bezoartic. Pul. rub. Pannon. Pul. Saxon.

Confectio alkerm. Confect. de Hyacintho.

CXI. Externa sunt oleum Angelic. oleum Scorpion. oleum Succini, oleum Castor. oleum cort. aurancior. oleum ex ligno & baccis luniperi.

Adhiberi quoque solent scarificationes lateris dolentis cum cucurbitulis, ut venenata materia, quantum fieri potest, extrahatur.

CXII. Hisce praesidijs adjungenda est *DI AET A* congrua: de qua veteres maximè fuerunt solliciti. Et quia pleuritis vera morbus est acutus, in illa victum admodum tenuem ordinabant, quemadmodum ex libro Hippocr. de vict. acut. & Galeni commentario liquet.

CXIII. Debet autem victus in principio exquisitior esse, quam in progressu, ne febrilis calor augeatur: ne natura à discutiendi, aut suppurandi munere avocetur: ne materia morbi incrementum capiat. Erant igitur prisci Medicina proceres initio contenti Melicrato, & Ptissana hordeacea, quam Galenus sollicitè & operosè peculiari libello descripsit. Symptomatibus mitigatis, quod fieri solet in fine status, alebant plenius: ita ut etiam ova sorbilia, pisces saxatiles, carnesque pullorum gallinaeorum &c. laborantibus concederent.

CXIV. Nostri Germani, qui tenui accuratoque victui assueti non sunt, nutriendi sunt liberalius. Dandum enim inquit Hippocrates aphor. 17. sect. 1. aliquid regioni & consuetudini. Proinde brodia carnum, caporum & gallinarum, panatella, quae ex pane & brodijs istis sunt confecta, & pulricula hordeacea, & quae ex cremore hordei parantur, sunt optime. Nam & refrigerant, & alvum laxant, & sputamina promovent, & alunt, & maturant, & emolliunt, & dolorem leniunt, & abstergunt, praesertim si cremor extractus sit cum jure galli decrepiti, & momentum salis sit aspersum.

CXV. Morbo declinante, & symptomatibus majori ex parte sedatis, nutrientiora offerri poterunt: v. g. ova sorbilia &
tremu-

tremula recentia, carnes gallinarum, caporum, hœdorum, agnorum, vitulorum, avicularum in montibus, sylvis & dumetis sua habentium domicilia, piscium quaedam genera, ut lucioli, perca, trutta, thymalli, salmerini, funduli &c. Acida, & adstringentia, quia expectorationem impediunt, itemque salsa & acria, quia calefaciunt, & febrim augent, vitari debent.

CXVI. Potus sit aqua, in qua decoct. hordeum integrum, passul. corinth. glycyrrhiz. viol. jujub. ficus, sem. anis. aut fœnic. Dari potest etiam lac amygdal. dulc. cum hoc eodem decocto paratum. Amygdalis addere licebit 4. sem. frig. majora. Veteres Melicratum & Hydromel propinabant: quoniam sputum promovent.

CXVII. Vinum initio febris causa noxium. In declinatione concedi potest, praesertim si aeger sit senex, aut vini potui assuetus. Sed sit ὀλιγοφόρον, defacatum, clarum.

CXVIII. Aër, in quo decumbens degit, sit temperatus. Alvus quotidie servetur aperta, pharmacis, h. e. clysmatibus, suppositorijs, aut lenitivis syrupis, decoctis, electuarijs, pilulis. Motus animi vitentur, ira cumprimis & mœstitia. A multo sermone absteineatur.

Vigiliae arceantur somnum conciliantibus, sed mitioribus: ut sunt aq. lactuc. Violar. Nymph. Papaver. alb. Solan. Violar. Syrup. papaver. syr. Nymph. Foris applicetur oleum Nymphae. ol. Papaverin. ol. Violar. Unguentum populneum, & soporiferum.

CXIX. Nothæ pleuritidis, quæ flatulenta & pituitosa, peculiarem tradere curam nihil attinet. Multa enim remediorum genera, quæ proposita, illi quoque conveniunt: praesertim enemata, purgantia, & topica discutientia flatusque dissipantia: quibus interna quaedam, eadem virtute pollentia, addi queunt: cujus generis sunt Tragemata ex speciebus dianis. diagalang. aromat. caryophyll. diacinnamom. &c. confecta. Item Tab. post pastum, tab. ex oleo fœnic. ex oleo anis. ex oleo Cinnam. parata. Præterea Theriaca & Mithridatium. Adhæc Zinzib. condit. calam. aromat. condit.

*condit. Elixir propr. Paracels. Aq. theriacal. cum vino. Elixir
vita Matthioli, Spiritus fœnic. Spir. anis. & plurima alia.*

CXX. Nothæ pleuritidis, quæ inflammatio est musculo-
rum thoracis externorum, ea est cura, quæ inflammationis alia-
rum partium: ut scil. sanguis adhuc influens avertatur: ut qui
jam impactus resolvatur: vel, si ad suppurationem vergat, ejus
maturatio topicis juvetur: ut rupto abscessu pus evacuetur: ut
denique, ulcus si factum sit extrinsecus, mundificetur, carne im-
pleatur, tandemque cicatrice obducatur.



P R A E S E S

Ornatissimo Domino Respondenti

Salut.

A me, WITZELI, petijsti nuper amanter,
Dignarer paucos scribere versiculos:
Quos tibi fas esset thesibus subjungere nostris,
Cum passim soliti moris id esse scias.
Non potui sanè tibi vile negare petium,
In versu sterilis sit mea Musa licet.
De studijs autem toto tibi pectore grator,
Et simul ex animo prospera quæque precor.
Omnipotens faxit summi Moderator Olympi,
Quo pede cœpisti ut sic pede semper eas:
Cumque iterum in Patriam fueris, LUDOVICE, reversus,
Præscribas agris pharmaca certa tuis:
Indeque lucreris magnum & memorabile nomen,
Et referas studio præmia digna tuo.

F I N I S.







Cf 133

(x 260 9941)

VD17

Aus dem Nachlasse
des
Geh. M.-R. Prof. Dr. Ernst Blasius
der Universitäts-Bibliothek
geschenkt
von seinem Sohne
Dr. med. Heinrich Blasius in Berlin.





8.

DISPUTATIO
DE
PLEURITIDE:

*Solemnis exercitiij gratia in alma Argentoratensium
Universitate proposita*

à

MELCHIORE SEBIZIO,
DOCTORE ET PROFESSORE ME-
DICINÆ ORDINARIO, COMITE PA-
latino Cæsareo, & Reipubl. Archia-
tro, h. t. Rectore:

Respondente

JOHANNES LUDOVICO *Wibel* /
FRANCOFURTENSI.

Die 16. Mensis Martij.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI.
M. DC. XLIX.

